

2907

C O D I C E S

2908

DCCC.V.

- 79 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 177. f. caractere luculento scriptus, rubricis distinctus et optimi generis exhibet *Fol. I. p. 1.* Schema *Arboris Consanguinitatis*, quale sub ipsum inventae Typographiae tempus cum expositione *Job. Andreae* excusum saepius occurrit.

*Fol. eod. p. 2.* sequitur Homilia five *Admonitio* ad Clerum hoc initio: *Fratres, Presbyteri et Sacerdotes Domini. Cooperatores Ordinis nostri estis. Nos quidem quamvis indigni locum aaron tenemus &c.* *Admonitio* haec in Synodis ab ipso Episcopo, aut Diacono praelegenda typis primum comparuit in fronte *Decreti Burchardi Ep. Wormatiensis Colon. 1548.* f. inde in calce *Apologiae Baroniariae Jac. Gretseri Ingolst. 1610.* subministrante *M. Velfero*, et in *Sev. Bini* secunda *Concilior.* editione, *Colon. 1618. T. IX. p. 803.* In edit. *Concilior. Phil. Labbei Paris. 1671. T. VIII. col. 33.* inscribitur ex Cod. Vaticano *Homilia Leonis Papae IV.* eodemque anno edita est *ibid.* ad calcem *Reginonis* a *Steph. Baluzio* inter *Acta vetera* n. 2. in 8. ex vetustissimo Cod. Rivipullenfi et altero suo. Denique ex Cod. Neresheimensi scripto anno MIX. eam exhibet post *Velferum J. Harduinus Concilior. T. VI. P. 1. col. 783. Paris. 1714.* f. Aetatem illius quod adtinet, contra *Codicem Vatic.* et *Velferum*, qui eam *Udalrico II. Episcopo Au-*

gust. adtribuerat, contendit *Baluzius* in *not. ad Reginonem* p. 534. utroque antiquiorem, et ad *Bonifacii Archiepiscopi Mogunt.* tempora, id est, Seculum VIII. referendam, atque deinceps pro varia ecclesiarum consuetudine et populorum moribus auctam, mutatae fuisse. Id, quod vel e nostro Exemplari liquet, in quo post illa verba: *Crisma semper sub sera sit. aut sub sigillo propter quosdam infideles*, statim clausula sequitur: *Volumus autem fratres karissimi — per omnia secula seculorum. Amen.* Et dein resumitur: *De misterio etiam vobis commisso uos ammonere curamus &c.* finiturque: *ad vitam ducere. et christo representare.*

*Fol. 4.* sub epigraphe miniata: *In Natale Sancti Galli*, habentur de eo *Lectiones VIII.* ex ejus vita a *Walafrido Strabo* conscripta depromptae, quae apud *Surium T. V. p. 809. Caput I. II. III.* et initium *IV.* usque ad ea verba: *demers. in lacum*, constituunt.

*Fol. 5. p. 2.* *Lectiones* totidem: *In natale sancte ceciliae virginis*, decerptae ex ejus vita auctore *Simeone Metaphraste*, quam exhibet *Surius T. VI. p. 505.* Incipiunt: *Virgo clarissima cecilia. absconditum semper euangelium &c.* Finiunt: *habeo eius secreta que perferam.* Phrasis tamen saepe differt a *Suriana.*

*Fol. 6.* *Lectiones* totidem inscriptae: *Passio sancti Andraei apostoli*, sunt initium *Passionis* a *Presbyteris et Diaconis Ecclesiarum Acha-*

Achajae, ut fertur, conscriptae, proceduntque ab his verbis: *Passionem sancti Andree quam oculis nostris uidimus &c.* usque ad illa: *permanens inter tormenta confessor.* Omissa tamen in medio est prolixior Apostoli cum Aegea Procos. disputatio. Acta integra habes Surii T. VI. a pag. 619.

Fol. 7. Incipit *passio sanctae (Agathe erasum; est enim S. Luciae) uirginis*, in VIII. pariter *Lectiones* distributa. Habetur prolixius Surii T. VI. p. 892. unde praefens excerpta incipit: *Dum per uniuersam prouinciam sicilie &c.* Finit: *contingentibus sepulchrum eius. per iesum christum dominum nostrum &c.*

Fol. 8. p. 2. litera rubra quadrata legitur: *Incipit De Formula secundum quam Synodus Sancta fieri debet.* Sequitur eodem colore: *Hora diei prima exceptis presbyteris. omnes eiciuntur de ecclesia &c.* Atque ita deinceps *Agenda* minio, *Preces* vero atramento scribuntur. Desinit: *His expletis. sacram communionem accipiat.* Formula haec Synodalis plurimum ad eam accedit, quam exhibet *Melch. Hittorpius* de div. Cath. Eccl. Offic. Colon. 1568. p. 150. nisi, quod nobis adtextum sit *Caput* de Poenitentia Homicidarum *De Synodo*, ut habet rubrica, *Liutperti* apud *Mogontiam* habita. Inspeci Synodum hanc anno 888. celebratam T. II. *Concil. Germ.* p. 368. non tamen *Caput* istud deprehendi. Repraesentat illud *Regino* L. II. *de eccles. Discipl.* sed inscriptum *Ex Concilio Tri-*

*huriensi.* Itaque et hoc Concilium in vicinia quidem *Moguntiae*, sed anno demum 895. mortuo jam *Liutberto* coactum T. cit. *Concil. Germ.* p. 388. consului, remque omnino reperi, aliis tamen, ut plurimum, verbis expressam, ac est in nostro Codice, qui magis cum *Reginone loco cit.* c. 6. et *Burchardo* L. VI. c. 1. consentit.

Fol. 13. sequitur alius *Ordo Romanus qualiter Concilium Commune peragatur.* Initium est: *Prima conuentionis die. Conueniente itaque uniuerso coetu sanctorum episcoporum &c.* Finis: *Deo gratias. Et ita conuentus absoluetur.* Et hunc et praecedentem *Ordinem* ex Apographo Codicis nostri ad calcem *Reginonis Helmaestadii* an. MDCLIX. 4. edidit *Joach. Hildebrandus* in eo lapsus, quod putarit utrumque *Reginonis Operi* apud nos subnecti, cum Opus istud, uti ex hoc recensu patet, praecedant, non secus ac in *Codd. Helmstadiensis* et *Moguntino*, quibus pariter usus est.

Fol. 20. demum incipit laudatum Opus et quidem ab *Indice Capitum* utriusque Libri, quorum prior CCCXLVIII. posterior CCCCLII. censet, quae simul sumta numerum CM. efficiunt jam olim a *Trithemio Scriptt. Eccl.* c. 295. adsignatum. Ad calcem *Indicis* legitur: *Noticia Quid episcopus. uel eius ministri. in sua synodo diligenter inquirere debeant. per uicos publicos. siue uillas. atque. parroechias. propriae dioecesis.* Post haec comparet litera quadra-

ta sequens Titulus : *Incipit Libellus De Aecclesiasticis Disciplinis. Et Religione Cbristiana. Collectus Ex Jussu Domni Metropolitanus Rathbodi. Trevericae Urbis Episcopi.* (vivi exemti a. 918) *A Reginone Abbate Quondam Prumiensis Monasterii.* (mortuo a. 915) *Ex Diversis Sanctorum Patrum Conciliis. Et Decretis Romanorum Pontificum Feliciter In Dei Nomine Amen.* Opus ipsum incipit : *Cap. I. In Primis Inquirendum Est &c.* Finit : *quid salubrius. et utilius animae poenitenti esse decernat.*

*Fol. 142. p. 2.* sequuntur ea *Capita*, quae *Baluzio* in *edit. Paris.* *Reginonis Appendicem primam* constituunt, incipiuntque : *Pseudographia. et dubie narrationes &c.* Finiunt nobis : *reuerentiori diligentia sunt in mysteriis obseruata silentio quam publicata scripto, Hildebrando et Baluzio unum praeterea Caput ex ead. Basili ad Amphilochium ep. adtextentibus, quod incipit : Deficit me dies &c.* et definit : *persuasibilius eruditus clarescat.* *Capita* haec saltem ex parte a posteriore quodam compilatore collecta aut interpolata fuisse, argumento est *Concilium Francofortense* anni CMLII. c. 53. citatum.

*Fol. 156.* Sequuntur *Capita*, quae *Hildebrandus* nec in *Helmst.* nec in *Mogunt. Codice* reperit, adeoque ex *Nostro* ad calcem editionis suae subiecit. Sunt vero non, ut ille subputat, LXXI. sed LXXV. cujus erroris reus est is, qui ἀπογραφοῦ *Vindobona Viro*

transmisit ; reponendum enim est inter *Hildebrandi C. XXX.* et *XXXI.* *Caput* sequens : *Laici presentibus clericis nisi ipsis probantibus docere non audeant. C. XLII.* dividendum est in duo, ita, ut secundum incipiat : *Si Metropolitanus a quocunque &c.* Inter *C. LIII.* et *LIV.* inferendum *C. Et tabulis uel codicibus requirendis. et ut nullus in psalterio uel in euangelio uel in aliis rebus sortire presumat. nec diuinationes aliquas obseruare. C. LIV.* dividendum in duo. *Novum enim Caput* est : *Lex imperatorum non est supra legem dei. sed subtus.* Itaque et operam bonus perdidit *Hildebrandus* argumentum inde contra Pontificios struendo. Sunt porro non pauca alia, quae ἀπογραφοῦ illud negligentius exaratum esse evincunt, ut ex collatione didicimus, nulloque negotio deprehendet, qui de nova olim *Reginonis* editione cogitaverit ; quam enim anno *MDCCLXV. Vindobonae 4.* publici juris fecit illustris Comes *Aloysius Christianus* paucis post annis immaturo fato Reipublicae etiam literariae ereptus, tota ad exemplar *Baluzianum Paris. 1671. 8.* efficta est, neque *Baluzius*, quod tamen poterat, de *Codice nostro* curasse videtur.

*Fol. 169.* *Codex* hic rursus ad *Lectionarium* redit ; sequuntur enim sub epigraphe : *In natale sancti Sebastiani martyris, Lectiones VIII.* hoc initio : *Sebastianus vir Cbristianissimus medilanensium parcium ciuis &c.* Hoc fine : *nos celos securi penetrantes et sine fine gau-*

2913

LITURGICI

2914

gaudentes. Sunt hae Lectiones Pars *Astorum* extantium apud *Suriium* T. I. p. 434.

Fol. 170. p. 2. In *Natale Sancti gregorii pape*. Lectiones VIII. quae incipiunt: *Gregorius genere romanus. arte philosophus &c.* Finit: *crudis leguminibus pascebatur*. Excerptae sunt ex *Vita Greg.* scripta a *Johanne Diac.* quam habes in *At. SS. T. II. p. 211.* in *Mabillonii At. SS. O. S. B. Sec. I. p. 496.* et *Opp. Greg. T. IV. Paris. 1705. f.*

Fol. 172. ad marginem: *De uno confessore.* itidem Lectiones VIII. quarum initium: *Ad sancti ac beatissimi istius patris &c.* Finit: *latronum obsidet multitudo.* Sunt de *Homilia S. Maximi*, quae est *LIX.* et *II.* de *S. Eusebio Vercell.* legunturque etiam hodie in *Brev. Rom.*

Fol. eod. p. 2. In *natali unius confessoris qui non fuit episcopus.* Lectiones VIII. Incipiunt: *Servorum igitur quos populo suo preposuit &c.* Desinunt: *uendite que possidetis et date elemosinam.* Videntur depromptae ex *Homilia* quadam in illud *Lucae 12. Quis putas est fidelis dispensator &c.*

Fol. 173. In *Natale Confessorum.* rursus Lectiones VIII. hoc initio: *Dominicus sermo quem debemus omnes &c.* Hoc fine: *magistro dominico sterilis permanere.* Pars cujusdam *Homiliae* de *Obseruantia Mandatorum Dei.*

Fol. 174. fine ullo Titulo incipit *Enarratio* in *Psal. LXIII. Exaudi Deus orationem meam &c.* sed tantum pertingit ad *V.* ejus

7. *Sagittae parvulorum &c.* Initium est: *A parte humanitatis assumptae &c.* Finit: *puris mentibus intrauerunt.* Ex quo conficitur, *Enarrationem esse Cassiodori*, quae legitur *Opp. T. II. Rotomagi 1679. p. 208. f.*

Fol. 176. habetur *Fragmentum* fabulosum de *D. Thomae Apostoli* missione ad *Indos*, quod incipit: *Dum Apostolus Thomas qui et didimus esset apud cesaream &c.* Finit: *Nullus pauper. nullus aliquid indigens.* Depromptum ex *Pseudoabdiae Hist. Apostolicae L. IX. Adi J. A. Fabricii Cod. Apocr. N. T. P. II. p. 687.*

Fol. denique 177. recurrunt *Lectiones* de *B. Lucia* usque ad initium *Quintae*, quae jam fol. 7. legebantur.

DCCCVI.

Codex membraneus lat. Sec. 376 XI. Folior. 40. f. per duas columnas nitide scriptus et rubricis distinctus *Liturgicus* est et inscribitur: *Incipit Ordo Catholicorum Librorum Qui in Ecclesia Romana ponuntur.* Initium: *In uigilia natalis domini leguntur lectiones. III. de isaia propheta &c.* Edidit hunc *Ordinem Melch. Hittorpius* c. aliis *Colon. 1568. f. p. 19.* Sunt tamen, in quibus differimus, quae indicabo. Sub finem *Ordinis* in *Octavis Domini* nobis desunt illa verba: *Post octavas uero usque in Theophaniam &c.* In *Ordine* de *Purificatione B. Mariae* omittitur, quidquid ad *Benedictionem Cerei* pertinet. *Denunciatio*

C c 3

tio